

POLYARTHRON BEDELI, sp. n.

**и обзоръ его русскихъ сородичей (Coleoptera,
Cerambycidae).**

Андрея Семенова.

Polyarthron bedeli, sp. n.¹⁾

Antennae ♂ dimidium corpus sesqui superantes, graciles, 23-articulatae, scapo subelongato, articulo 2° vix transverso, 3° elongato his simul sumptis paulo longiore, apice infra acute sed breviter angulatim producto, 4° praecedente duplo fere brevior, apice infra brevi lamellae rudimento praedito, sequentibus simpliciter longe angustaque lamellatis, lamellâ articuli 5¹ insequentibus multo brevior, articulo ultimo e duabus lamellis omnino fere connatis composito. Palpi ♂ omnes articulo ultimo anguste irregulariterque triangulari. Prothorax disco toto longe, etsi sat parce villosus, angulis omnibus muticis, dente laterali medio etsi evoluto, tamen sat subtili, acute spiniformi. Scutellum latum, spatio interorbitali latius. Elytra ♂ ad humeros valde eminentes fortiter dilatata, retrorsum angustata, suturâ rectâ haud dehiscente, angulo suturali obtuso et mutico. Tarsi postici articulo basali ultimo (unguiculis exclusis) longiore. (= Subgen. **Pogonarthron** n.).

¹⁾ Signum venerationis coleopterologorum Galliae facile eruditissimo L. Bedel parisiensi.

♂. Solo *Polyarthro tschitscherini* Sem., speciei ejusdem subgeneris, affinis; differt magnitudine multo majore (semperne?); colore totius corporis, meris atris oculis piceisque mandibularum apicibus exceptis, dilute testaceo, antennis gracilioribus, scapo manifeste longiore, ad apicem minus inflato, articulo 3° paulo longiore et tenuiore apice infra brevius adeo anguliformiter producto, articulo 4° multo longiore, quam 3^{us} vix duplo brevior, apice subtus solum brevi lamellae rudimento instructo, etiam lamellâ articuli 5¹ insequentibus multo brevior, lamellis omnibus anguste foliaceis, nonnihil extrorsum contortis, subtus longitudinaliter carinatis; palporum omnium articulo ultimo paulo magis, triangulariter subdilatato; oculis antice ad inserendas antennis magis profunde emarginatis, parte superiore angustiusculâ; fronte angustiore; prothorace minus transverso, longitudine suâ vix 1,75, capite cum oculis perparum latiore, disco toto, etiam medio, crebre punctato, haud nitido, dente laterali medio magis evoluto, triangulari, fastigio subspiniformiter acuminato nonnihil retrorsum directo, margine laterali dein antrorsum fortiter obliquato, angulis anticis obtusissimis, nullo modo eminentibus, capiti applicatis; coleopteris ad humeros summam prothoracis latitudinem subduplo superantibus, angulo suturali magis adeo obtuso, margine suturali ad hujus apicem breviter obliquato; ceterum cum *P. tschitscherini* congruens.

♀ ignota.

Long. ♂ 22, lat. (ad humer.) 9,5 mm.

Hab. in Buchariae orientalis provincia Hissar: ad opp. Karatagh (testibus O. Staudinger & A. Bang-Haas) (E. Willberg!). — Solum specimen (1 ♂) ab O. Staudinger & A. Bang-Haas nuper acceptum (coll. P. a Semenov).

A ceteris congeneribus imprimis antennarum structurâ distinctissima species.